

Forfatter: Arrebo, Anders

Titel: Udrag fra Hexaëmeron

Citation: Arrebo, Anders: "Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965", i Arrebo, Anders: *Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965*, udg. af VAGN LUNDGAARD SIMONSEN ; Jørgen Glahder , Munksgaard, 1965-83., s. 44. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-arrebo01val-shoot-idm140030268062592/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965

Haurite pressas erudito pollice
Uvas repletas Nectare;
Ut imbibantur sacra Mosis semina
Qvæ Dana spargit dextera.

S.

J. Bredal,
piè defuncti Authoris Nepos.

Desine Graia loqvi posthac Romana vertustas
Desine grandiloqvis ad sidera tollere bombis
Magnanimum Æaciden, formidatumqve; Tonanti
Amphitryoniaden, tot bella, tot horrida bella,
Bella per Æmathios plus qvàm civilia campos.
Vcliferas vel avara trabes qvot Scylla voravit,
Qvi casus Troiæ, vel qvæ juga perfida Circes
Dulichiiis ululata lupis, longè altius itur
Altius assurgit jam nostri Musa Poëte
Materiem spectas? certè non Troius hostis
Hac in classe vehit decepti pignus Atridæ,
[h r'] Nec canitur Siculis qvæ conformata caminis
Effigies lassum Brontem Steropemqve; reliqvit,
Sed Deus, atq; hominum Divumqve; æterna potestas
Sistitur ante oculos, qvæ condidit omnia verbo,
Omnia qvæ vastus gremio complectitur orbis,
Qvicqvid alit tellus qvicqvid maris æqvora verrunt,
Qvicqvid flammiferis mundum complexus habenis
Phæbus ab axe videt, cælumq; solumq;, salumq;
Sistitur ante oculos, qvi summi jussa Tonantis
Primus homo excussis, pomoqve; momordit in uno,
Et natos natorum & qvi nascentur ab illis,
Cælum, Vesta, Thetys, naturaq;, tota cothurno
Non unqvam tanto se incessisse fatetur.
Qvin priùs exclamat, sibi qvàm Divine Poëta

Teque; tuumque; unquam tollent oblivia nomen
Tota prius vasti tolletur machina mundi
Cæli ferique; attrita genu perfringet Atlantis.

l. m. q. p.

Joh. Er. Monrad.

N Octurnos alij dolos Pelasgum,
Errantesque mari Phrygum carinas
Aut fatum Culicis, citive pugnam
Muris ridiculam, aut faces Amorum
(Tritam Vatis orbitam sequenti)
[h r'] Ventis, arboribus, gregique; cantent:
Tu charus superis, memorque, Jæne
Carmen fortior exseris sacratum,
Et cantas teneri Creationem
Mundi: Tum tenebras Chaos fugatas
Victricis radios timere lucis:
Tum pandi nitidum Poli tapeta,
Duratumque; Solum, Saloque; cinctum,
Prognatas subito stupere Plantas,
Convexique; Globos poli coruscas:
Tum vitas Volucrum, Marisque; Monstra,
Et tardas Pecudes citasque; Damas,
Et Vermes, Colubrasque; Viperasque;
Verbo munifici Dei creata:
His tandem superadditum Monarcham.
Hæc aptas Patrij, sacrate, rhythmis,
Doctis, grandisonis, gravi cothurno
Dignis: Nec pecudum greges, ferasque,
Ornos aut Geticas moves canendo,
Sed mentes hominum pias piorum.
Felix (heu!) nimis & beata Tellus,
Quæ Lycaonio jacens sub axe,
Te terris dedit, ô Beate Vates,